



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

5 Exercitia vsurpanda tempore ariditatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

**Deus. 28.** pacta, quæ DEVS ratione promissionum suarum nobiscum iniit. *Si mandata inquit mea custodieritis, & in præceptis meis ambulaueritis.* hoc est. promitto vobis me abundantiam illam vobis concessuram, si non solum meis legibus parere cœperitis, sed etiam in earum obseruatione perseveraueritis, & progressum feceritis, id enim significat verbum *ambulaueritis.*

*Exercitia vsurpanda tempore  
ariditatis.*

C A P. V.

**P**RIMUM est. crebrius vti inter meditandum applicatione sensuum. In ea enim breues discursus sufficiunt, & res sensibiles istæ viam aperiunt, & dirigunt ad illa pauca. Sed memineris, tunc id tibi licere tantum, quando omnes suprascriptos meditando modos probaueris, qui nõ facile sunt deserendi.

**S**ECONDVM est, vsurpare Colloquia, & discursus varios, vt dictum est alibi, quia animus valde inflammare solent & excitare, ac inter cætera posses cum Dauide dicere, illud Psalmi 135. *Anima mea, sicut terra sine aqua, & si quæ sunt similia, ab ipsa siccitate occasionem capiendo.*

TERTIUM

TERTIVM sit, non festinanter, sed cunctabundè legere pium aliquem librum, quem maximè probes, & cum occurrerit consideratio aliqua, gradum figere, donec ardeat: vbi cessarit, lectionem repetere, & dum gustus aliquis se offert, commorari tantisper, donec tempus meditandi effluerit.

Quartum esse poterit, quod usurpavit P. FRANCISCVS Borgia, sigillatim autem die omnibus Sanctis sacro in singulas horas. Nimirum imaginabere te conscendisse in cœlum, & inter visendū spiritus beatos, posces aliquam eleemozynam, principio facto à S. Trinitate, antequam cum seniorib. in Apocalypsi prostratus adorationis causa ad quamq; personā oratiunculam aliquā institues, si scias, & si nescias, modo quo ipse poteris optimo postulare poteris gratiam pro præsentis tua necessitate ipsius attributis congruentē. Verbi causa à Patre aeterno, vt compleat memoriam tuam piis conceptionib. ad meditationē locupletādā. A verbo aeterno, vt instruat intellectum ad excogitandū res idoneas, & easdē penetrandum, sicut fecit Apostolis, quando, vt habet Lucas, *aperuit illis sensum, vt intelligerēt scripturas.* A Spiritu sancto verò, vt cor tuum

sancto amore accendat quo semen diuinū bonarum cogitationum, sanctorumq; desideriorum in Meditatione susceptum fouere possis, vt vberem fructum proferat.

Adire dehinc poteris thronum B. Virginis, Dei Matris, precariq; vt per suam fecunditatem corporalem dignetur tibi impetrare fecunditatem spiritualem. Orabis & *Seraphinos*, vt tibi impetrent inflammatum amorem in Deum.

*Cherubinos*, vt obtineant rerum diuinarum cognitionem.

*Thronos*, firmitudinem, vt sis constans in obedientia.

*Dominaciones*, vt te gubernent iuxta Domini voluntatem.

*Principatus*, vt te defendant.

*Virtutes*, vt doceant.

*Potestates*, vt à periculis liberent.

*Archangelos*, vt te adiuuent.

*Angelos*, vt te custodiant.

*Patriarchas*, vt constāciam, quam ostenderunt in expectando Messia, impetrent, & stabilitatem in exercitatione bonorum operum.

*Prophetas*, vt lumen obtineas præcauendi omnia pericula.

*Aposto-*

*Apostolos*, velut Pastores, vt tui, ouis suæ, curam gerant.

*Martyres*, vt impetrent fortitudinem animi in patiendo pro Christo.

*Confessores*, vt contemnere mundum, & carnem mortificare queas, sicut illi fecerunt.

*Doctores*, vt obtineas lumen cognoscendi legis suæ arcana, & robur ad eam obseruandam.

*Virgines*, deniq; & *Viduas*, vt impetrent puritatem cordis, & diligētiam qua dulcissimum suum sponsum Christum quæsierunt.

**S E X T U M** sit, vt tu econtra aliis eleemosynam porrigas in hunc modum.

Primo, percurres omnes status necessitate aliqua laborantium, incipiendo ab animabus Purgatorii Deinde transibis ad eos qui proximi sunt morti, vel in manibus infidelium. Tum ad existentes in peccato mortali, vel incarceratos Tum ad ægros, nauigantes, & alios id genus, orabisq; pro quolibet vnicam Dominicam orationem, & Salutationem angelicam, vel alias preces, prout libebit. Deinde excurses per ordines Ecclesiasticos, initio sumpto à Papa, per Cardinales, Episcopos, clerū, & quamq;

Gg s religio-

religionem, optando illis abundantiam Spiritus sancti, utque primum ipsi in se sint sancti, tum verò sua sancta conuersatione, & prædicatione iuuent ad sanctificationem aliorum. Tertio idem poteris facere per Principes seculares, & Ecclesiam sanctam imitando primum Deo comendare Imperatorem, tum singulos Reges Christianos aliosque Principes, Respublicas, Magistratus, Iustitiæ vindices, unicuique optando que officio eius conueniunt. Pro proprio autem Principe vel Domino peculiarem semper institues orationem.

**SEPTIMUM** sit, singillatim discurre per Christi crucifixi membra, inchoando à capite, tum pergere ad oculos, aures, &c. Salutando illa, illis preculis, quarum meminit S. Bernardus, & S. Bonaventura, vel si earum gnarus non sis, vna oratione Dominica, agendo illis gratias pro bonis operibus per ea præstitis, afflictionibusque perpeffis.

**POSTREMUM** sit, incumbere Orationi vocali cum sequentibus conditionibus. Prima, ut si memoria illam teneas, ores oculis in imaginem aliquam vel in cælum defixis. Secundo, ut pronunties verba lentè, sic ut respiratio vna intercedat; v. c. postquam dixit

dixeris, *Pater noster*, vna respiratione inter-  
iecta, dic, *Qui es in caelis*. & sic deinceps co-  
mitante semper attentione intellectus ad  
verborum significatum. Quæ si cogitatio-  
nibus alienis obrepentibus turberur, con-  
uenit ea tam clare proferre, vt ipse auribus  
percipias. Cum enim anima intèra esse de-  
beat & attentioni recitationis, & auditio-  
ni, fiat vt dictæ cogitationes dissipentur. Si  
verò orationes, quas es dicturus, memoriæ  
infixas non habeas, sed ex libro sint legen-  
dæ, eandem rationem & modum te-

nebis, vt si legas *Horas*

*Canonicas*.

TRACTA-